



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

Geismar, Justus Moritz von

Coloniæ Agrippinæ, 1691

Ad tit. XXI, de pignor. & aliis Caut.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

AD TIT. XIX.

De Rerum permutatione

AD num. 11. in fine adde. Quæres. Cur Capitulum sede vacante possit consentire in permutationem, Vicarius Generalis autem non? Resp. Quia Capitulum in omnem jurisdictionem succedit, Vicarius Generalis non habet omnem. 2. Quia adhuc adest hoc casu Episcopus, qui consentire possit, sede autem vacante non adest. Ergo.

AD TIT. XX.

De Feudis.

AD num. 3. in fine adde. An Prælati feudum reversum ad Ecclesiam sine consensu Capituli reinfundare possit? Distingunt aliqui juxta naturam primæ infundationis. Respondetur affirmative absolute. Quia c. 2. h. t. dicitur, quod liberè reinfundare possit Prælati, id est sine altero. Ergo. Vide Curt. Jun. fol. 93. Quæres, quando dicitur feudum plenè reversum? Resp. Quando Prælati illud rursus incorporat rebus Ecclesiasticis. Alias sententias vide apud Curt. Jun. Tract. feud. fol. 115. & seqq.

AD TIT. XXI.

De Pignoriibus & aliis Cautio-
nibus.

AD num. 9. in fine adde. in cap. illo vos. 4. h. t. Hic casus est. Primus de

dit quasdam terras. 2. pro 23. libris auri. Secundus apposuit pactum, ut, si sibi displicerent hæ terræ, posset eas intra duos annos reddere, ita tamen ut fructus computaret, & primus illos posset in pretio defalcare; E contra autem pro 23. libris cogere tur dare 26. libras. sive 60. solidos ultra summam perceptam. Hinc deciditur esse hic Contractus potius pignoris, quia in pignore fructus imputantur in sortem, & usurarius, quia etiam alias secundus exercere usuras consuevit.

AD TIT. XXIV.

De Donationibus.

AD num. 9. in fine adde. Requiritur acceptatio. l. 10 ff. h. t. Acceptatio autem vel ante, vel post donationem, vel ab ipso, vel ab alio ejus nomine fieri potest. Sic Princeps anticipato accep- tavit donationes Reipublicæ faciendas ff. de Polliciti. P. Kichl. disp. 12. §. 1. Quod verum si pollicitatio fiat ob honorem decretum, vel decernendum. d. t. l. 1.

Obii. c. Si tibi absenti. De Præbend. in 6. Respondet quod, Papa anticipato acceptaverit designatorem personæ faciendam, ita ut Episcopo non sit liberum revocare, nisi persona consentiat. Ita P. Kichl. Vel dic id fieri, quod Clericos dedecet variatio & mutabilitas.

Requiritur acceptatio etiam iure naturæ. Quia omnis promissio supponit conditionem, si alteri sit gratum. 2. Quia aliàs qui inscius posset fieri